

CAPVT VII.

DE S. COENA DOMINI.

Pag. m. 143. Aphorismus 3.

Christi corpus & sanguis non est in cœna præsens corporaliter, per contactum corporeum, sive in pane, sive sub accidentibus panis.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Continet Capernaitarum errorem crassum, & præconceptam opinionem falsam, afflictam iis, qui statuunt Christi corporis & sanguinis veram præsentiam, non pugnantem cum natura Sacramentorum, quæ sunt symbola, non nuda signa, gratiæ, in, cum, & sub quibus res cœlestis porrigitur, Gen. XVII, 10. II. Rom. IV, 11. Tit. III, 5. 6. Exod. XIII, 9. I. Cor. X, 16.

2. Hæc præsentia non pugnat cum prima institutione S. cœnæ, in qua Christus mensæ assedit, deditque discipulis suis; non ipse edit, Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19.

3. Neutiquam pugnat cum fine institutæ cœnæ, qui est recordatio Christi, Luc. XXII, 19. absentis quidem visibiliter, sed non invisibiliter, Matth. XXVIII, 20.

4. Minime pugnat cum scopo Christi, qui erat α) corpus Christianis dare manducandum sacramentaliter, tum temporis adhuc crucifigendum, Luc. XXII, 19. I. Cor. XI, 24. Joh. II, 19, nunc vero crucifixum, Joh. XIX, 19. gloriosum & impatibile, Philipp. III, 21. Hebr. II, 9. β) de passionis futuræ veritate & fructu discipulos erudire, cujus persuasionem nullus impediabat scrupulus de corpore CHRISTI naturali, in, cum, & sub pane, modo imper-scrutabili, manducando, Matth. XXVI, 26. 30. 32.

5. Nequaquam cum natura veri & humani corporis CHRISTI, quod per se visibile, palpabile, finitum, naturale, figura & quantitate præditum; Luc. XXIV, 39. 40. Joh. XX, 27. Hebr. II, 17. at tamen habitabat in eo tota plenitudo deitatis $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$, Col. II, 9. & poterat facere super omnia $\epsilon\kappa\ \pi\epsilon\rho\iota\sigma\sigma\theta$, quæ intelligimus, Eph. III, 20.

C

6. Haud